



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 104. Conditiones libertatis Franciæ Regi oblatae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A. C. 1525

diam esse conjiciendum, Franciam vero a Cæsare subigendam, cum nullo validiori medio nimiam Turcarum potentiam frangere posset, quam totam Christianam Rempublicam ad unam Monarchiam redigendo, cujus caput Imperator, centrumque Francia esset. Denique Albæ Dux censebat, Galliarum Regem esse cogendum, ut libertatem suam lytro redimeret, acquisitam vero inde pecuniam tantæ victoriæ digna fore præmia, indeque maximum, quantum fieri posset, fructum esse reportandum.

§. CIV.

Conditiones libertatis Franciæ Regi oblatae.

Amborum sententia communi applausu acceptata fuit, quapropter Rodii Comes supremus Cæsareæ aulæ Magister cursoriis equis in Italiam decernebatur, ut Regi significaret, Cæsarem eidem libertatem reddere paratum, ea tamen lege, ut præter prætenfa illius jura in Neapolis Regnum, & Mediolanensem Ducatum, sine omni prorsus conditione ac reservatione Burgundiæ Ducatum restitueret, Provinciam & Delphinatum a Franciæ Imperio avelleret, ac Borbonio Duci unacum ceteris omnibus terris cederet, ut ex iis Regnum erige-

erigeretur, quod nullo pacto a Franciæ Imperio dependeret, ac nequidem eisdem clientelari nomine obnoxium esset, nec minus Galliarum Rex Angliæ Regi in omnibus plene satisfaceret, quicquid ille ab eo jure sibi debitum peteret. Has conditiones Franciscus Rex constanter rejecit, professus, se potius in carcere moriturum, quam Regnum ulla Provincia spoliaturum.

Dum hæc gerebantur, Borbonii Dux, & Piscarius indignatione in Cæsarem concepta, quod ea, quæ illis promiserat, non persolvisset, invicem conspirabant, injuriamque, quam sibi illatam credebant, ulcisci constituebant. Ergo consilium ceperunt, Franciæ Regem in suam redigendi potestatem, eumque libertati afferendi; dummodo is Piscario sua in Neapolin jura cederet, & Borbonium bonis, dignitatibus atque officiis restitueret, eique in uxorem daret ejus Sororem, quæ nuper defuncti Alenionii Ducis conjux erat. Hunc in finem Lanoyo exponebant, Regem Neapolin esse transferendum, jamque consilium maturari cæperat: at Franciscus Galliarum Rex ex nimia captivitatis suæ indignatione libertatis spem sibi metipsum præciderat; tædio enim servitutis obrutus, facile libertatem honestis sub

Hist. Eccles. Tom. XXXIV. N n con-

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

Sæcul. XVI
A.C. 1525. conditionibus se obtenturum credebat, si ipſus in Hispaniam ire, atque ſuam ex captivitate liberationem ſupplex rogare poſſet; quapropter hoc conſilium Lanoyo propoſuit, quod & ipſe ratum habuit, ut eo certius Regem a Borbonii & Piſcarii poteſtate avelleret, atque in Cæſaris arbitrio relinqueret; ea vero conſilia, quæ adverſus præſatum utrumque Belliducem cuderent, ut Rex nemini manifeſtaret, unice Lanoyus eundem adſtrinxit, voluitque, ut pro ſuo in Hispaniam itinere proprias triremes, ſed inermes transmitteret.

§. CV.

Gallarum Rex in Hispaniam deductus.

Cunctis annuit Rex, datamque fidem exſolvit; quippe Gallicæ triremes nullo tamen milite inſtructæ advehebantur, quibus Lanoyus Hispanas impoſuit copias, ac ipſemet unacum Rege vela fecit, videntibus juxta ac conſentientibus Borbonio Duce, & Piſcario, qui Neapolin verſus iter inſtitui exiſtimabant. Equidem Franciſcus Rex ſecundis ventis in Hispaniam deferebatur, verum vix appulſus, ſuum agnovit errorem, quo tali ſeſe credidit loco, ex quo ægre admodum a ſuis liberari poſſet.